



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 128. Quo in loco habendum Capitulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quaest. 128. Quo in loco habendum Capitulum?

1. Resp. Capitulum secundum jus commune celebrari debet in ecclesia & loco ad hoc determinato, nec sine justa causa transferri potest ad locum alium, *c. quod sicut de elect. junctâ Gl. v. constitutiones. c. quâ fronte. de appell. junctâ Gl. v. Canonium. Fagn. in c. cum injuncto. n. 17. Quin & Episcopum, ubi aliquid non spectans ad suam privatam suorumque utilitatem vult proponere, non posse Capitulum congregare & celebrare in suis aedibus, sed debere accedere ad ecclesiam locumque aliâs consuetum Capituli, juxta S. Cong. asserit Fagn. loc. cit. num. 18.*

2. Dixi tamen: Sine justa causa: dum enim Capitulum tunc convenire nequit in ecclesia vel loco ordinario Capitulari, dubium non est, quin alibi haberi possit; ubi congruere videbitur Arg. *c. in nomine domini. dist. 23.* Et sic etiam repulso Episcopo ab ingressu suae civitatis, videtur causa justa translationis Capituli ad alium locum extra illam, ubi cum Canonicis suis deliberet de negotiis suae ecclesiae. Ita cum de jure & ex Trident. facultatem habet in casu supra dicto convocando Capitulum, eamque facultatem in Ecclesia sua Cathedrali exercere nequeat per Vicarium repugnante Concilio, per se propter impedimentum a civitate injectum, consequens est, ut eam exercere possit extra dictam Ecclesiam, Arg. *c. statumus. de off. ordinar. in 6.* ubi, quod cui committitur aliquid certo loco expediendum, & is illud ibi securè exercere nequeat, possit illud extra eum expedire. Fagn. loc. cit. num. 23. & seq. De cetero quod dictum à me in *for. benef. p. 2. quaest. 320. num. 3.* de loco electionis, videtur quoque locum habere in aliis actibus capitularibus; nimirum, ut hi quoque ex rationabili & publica causa (secus est de causa privata aliquorum Capitularium) si haberi nequeant in loco consueto, haberi possint & debeant extra illum, ita ut tunc minor etiam pars ad locum consuetum adire non teneatur, sed possit ab eo justè appellare. Reliqua spectantia specialiter ad locum habendae Capitularis electionis; nimirum, quod hæc habita extra fines ecclesiae aut locum consuetum, in loco tamen honesto, etiam citra causam rationabilem, non sit ipso jure irrita, nec etiam jure irritanda, excepta electione Papæ, quæ facta extra conclave est nulla juxta *c. ubi periculum. de elect. in 6.* & Bullam Gregorii XV. *atervi Patriæ.* Teneat quoque facta in loco interdicto, nec sit irrita aut irritanda facta in locis abditis, etiam secretissimis, vide apud me *loc. cit. quaest. 321. & seq.*

Quaest. 129. An & qualiter duæ partes Capituli constituent & representent totum Capitulum, sintque necessariae ad hoc, ut actus Capitulares valeant?

1. Resp. primò: Ad totum Capitulum constituendum & representandum non sufficit major pars, sed requiritur, ut duæ tertiæ partes sint præsentibus. Fagn. loc. cit. n. 48. juxta *L. planè & L. nulli. ff. quod cuiusque universi. nomine. & L. nominationum. C. de Decurion.* & hæc duæ partes representant totam communitatem, quæ est persona ficta & representata, *L. mortuo. ff. de fidejuss. l. 3. ff. de decretis ab ordin. faciend. Abb. in c. 1. h. t. num. 16.*

2. Resp. secundò: Ut Capitulum censeatur tractasse quid capitulariter, actusque ab univer-

sitate gestus valeat, requiritur inter cætera (quæ sunt, ut omnes habentes jus suffragii, si potuerunt vocari, sint legitime vocati & collegialiter congregati, & non separatim suum suffragium tulerint,) dictas duas partes fuisse præsentibus, juxta *cir. L. nulli & L. planè;* cum hac tamen distinctione inter Canonistas communi, quam tenet Abb. in *c. cum omnes. de constit. num. 13. Felin. ibid. n. 34. Host. Jo. And. Butrio, Rota in Paduan. Seditium. 28. April. 1617.* quam & quos citat Fagn. in *c. cum injuncto. de nov. oper. nunc. num. 49.* nimirum, quod in casu, quo nullus adesset superior, ad quem spectet convocatio Capituli seu Universitatis, ut valeat actus, debeant ad minimum convenire duæ partes, à quibus monenda seu convocanda pars tertia seu cæteri (qui aliâs de contemptu agere possent,) qui commodè vocari possunt, & si vocati venire noluerint, pergere possunt dictæ duæ partes ad actum Capitularem, & ita cum Canonista Civilista. Si verò adsit superior talis, & ad ejus mandatum seu convocacionem non convenient omnes, qui vocari poterant & debebant, venientes, etiam si non faciant duas tertias; imò, si non constituent majorem partem Capituli, possunt procedere ad actum Capitularem; eò quod tunc convocatio illa superioris constituat non venientes in contumacia, quæ privat illos jure ferendi suffragii pro illa vice, & ita Canonista.

Quaest. 130. Quenam dicatur pars major & sanior Capituli?

1. Resp. primò: Major pars Capitularium desumenda non est respectu aliarum partium, sed respectu totius Capituli. Zerol. in *pr. epsic. p. 1. v. Capitulum. num. 13. Barbof. de can. c. 18. n. 9.* De hoc verò, quod Zyp. in *analyfi. h. t. num. 1.* ait procedere hoc ipsum, nisi consuetudo habeat aliud; quâ passim receptum dicit, ut, quod major pars non solum respectu totius Collegii, sed respectu etiam aliarum minorum partium decernit ratum sit; de hoc, inquam, merito dubitant Wiestn. *h. t. num. 23. Reiffenst. num. 28.* Num verum sit respectu electionum Prælatorum & gravium causarum collegiarum ecclesiasticarum, etsi non negent de causis minorum collegiorum. Desumitur quoque major pars in casu, quo aliqui contempti seu non vocati, qui de jure debebant & poterant vocari per respectum, non ad solos præsentibus, sed ad hos & contemptos simul computatos. V. g. dum Capitulares sunt octo, ex quibus duo contempti, ut major pars censeatur consensisse, non sufficit ex sex præsentibus consensisse quatuor, sed requiritur consensisse quinque, qui computatis simul præsentibus & absentibus constituent majorem partem. Wiestn. *h. t. num. 22.* citatis Innoc. in *c. in Genesi. de elect. in fine.* Abb. *ibid. num. 11.* Passer. *de elect. c. 11. n. 112.* Idque ideo, ne si per injuriam sibi illatam non præsentibus non computarentur ad majorem partem constituendam, fraudibus aperiat via dum, qui quos timerent suis suffragiis adversaturos, possent hac ratione, illos non vocando, excludere, & tamen validè celebrare actum capitularem, quem intendebant. De cetero ad majorem partem constituendam sufficit quicumque excessus Capitularium sive votantium, etiam si esset unius medii voti. V. g. dum Capitulares sunt tredecim, septem vota non nisi medio voto superant medietatem, & tamen actus, pro quo sunt vota septem, à majore parte Capituli gestus reputatur & valet; quia jura